

bile p̄rmanet. Quod cum Vincēntius Cardinālis Ursinus, qui post Benedictus dēcimus tērtius fuit, suis m̄nibus contrectāret, et Philippo quinto Hispāniæ regi venerāndum offērrēt, odōrem suavissimum exspirāre comp̄rtum est. Idem vero Pōntifex anno millésimo septingentésimo vigésimo sexto, Jacōbum novis miraculis cōruscāntem, in Sanctōrum nūmerum rētulit.

℞. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangelii, fratres. de Comm. j. loco. [108]

DIE IV. DECEMBRIS.

S. Barbaræ

Virginis et Martyris.  
Duplex.

Omnia de Communi Virginum [122] præter sequentia.

Oratio.

**I**ntercēssio, quæsumus Dōmine, beātæ Barbaræ Virginis et M̄artyris tuæ ab omni nos adversitāte p̄tegat : ut per ejus intervēntum, gloriosissimum sacrosānti cōrporis et sāguinis Dōmini nostri Jesu Christi sacramētum ante diem ēxitus nostri, per veram p̄nitēntiam et

puram confessiōnem percipere mereāmur. Qui tecum vivit.

Commem. præcedentis et Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iii.

**B**arbara, virgo Nicomediensis, Dióscori nōbilis sed superstitiōsi hōminis filia, per ea quæ visibilia facta sunt ad invisibilia, divina opitulānte grātia, facile pervēnit. Quap̄pter soli Deo reb̄isque divinis vacāre cōepit. Eam pater, ūtpote forma venustiōri nitēntem, a quocūmque virōrum occūrsu tutāri cūpiens, turri inclūsit, ubi pia virgo meditatiōnibus et p̄cibus addicta, soli Deo, quem sibi in sponsum delēgerat, placere studēbat. Oblāta a patre plūries nobiliūm connūbia fōrtiter sprevit. Pater vero per sui absēntiam filiæ ānimum posse faciliūsemolliri cōfidens, jussit primo bālneum ēxstrui, ne quid ei deēsset ad commoditātem, deinde p̄egre in ēxteras regiōnes profectus est.

℞. Propter veritātem, et mansuetūdinem, et justitiam :

tiam : \* Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℞. Spēcie tua et pulchritudine tua, intēde, prospere procēde, et regna. — Et.

Lectio ii.

**A**bsēnte patre, jussit Bárbara duābus fēnéstris, quæ in turri erant, tērtiam addi in honōrem divinæ Trinitātis, labiūmque bālnei sacrosāntæ crucis signo muniri : quod ubi rēdiens Dióscorus inspēxit, audita novitātis causa, ádeo in filiā ex-cānduit, ut stricto ense eam appetens parum ab-fūerit, quin eam dire cōfoderet : sed præsto affuit Deus ; nam fugiēti Bárbaræ saxum ingens se patefaciens viā ap̄eruit, per quam montis fastigium p̄tere, sicque in specu latere p̄tuit : sed paulo post, quum a nequissimo genitōre rep̄ta fuisset, ejus lātera p̄dibus, dorsūmque pugnis immāniter percūssit, et crinibus per loca áspera difficilēsque vias raptātam Marciano præ-sidi puniēdam trādīdit.

℞. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℞. Propter veritātem, et man-

suetūdinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio i.

**I**Taque ab ipso omnibus modis sed incāssum tentātam, nudam nervis cædi, et inflīcta vūlnera tēstulis confricāri, deinde in cárcerem trahi præcepit : ubi immēsa luce circūmdatus ei Christus appārens mirifice confortātam in passiōnum tolerāntia confirmāvit : quod animadvērtens Juliāna matrōna, ad fidem cōversā, ejusdem palmæ p̄rticeps effēcta est. Bárbaræ demum fēreis ūnguibus membra laniāntur, faciibus lātera incenduntur, et mallēolis caput contūnditur : quibus in cruciātibus cōsōrtem solabātur et hortabātur, ut ad finem usque constānter certāret. Præcisis tandem utrique ubēribus, nudæ per loca pública tractæ cāpite plectuntur, filiæque cervicem ipse scelestissimus pater humanitātis expers p̄p̄riis m̄nibus amputāvit : cujus fera crudēlitas non diu inūlta remānsit ; nam statim eo ipso in loco fūlmine percūssus intēriit. Caput hujus beatissimæ M̄artyris

in oratorio ad Sancta sanctorum honorifice servatur. **R.** Afferentur. [133]

In iij. Nocturno, Homil. Sæpe vos, fratres. de eodem Communi. [136]

In Vesperis Commem. Feriæ, et S. Sabbæ. 530.

DIE X. DECEMBRIS.

In Translatione Almæ Domus Lauretanæ.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laudibus. [400]

Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V. [191]

**V.** Hæc est domus Domini firmiter ædificata. **R.** Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Magnif. Añæ. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Oratio.

**D**Eus, qui beatæ Mariæ Virginis domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabiliter collocasti : concede, ut segregati a tabernaculis

peccatorum, digni efficiamur habitatores domus sanctæ tuæ. Per eundem Dominum nostrum.

Commemoratio Feriæ, et S. Melchiadis Papæ Mart. tantum. 556.

In fine Hymnorum dic. Jesu, tibi sit gloria,

Qui natus es de Virgine, Cum Patre, et almo Spiritu,

In sempiterna sæcula.

Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Salvatorem mundi in domo Virginis de Spiritu sancto conceptum, \* Venite adoremus.

Ps. Venite. 2.

Hymnus.

**C**ELÉSTIS urbs Jerusalem,

Beata pacis visio, Quæ celsa de viventibus Saxis ad astra tolleris, Sponsæque ritu cingeris Mille Angelorum millibus

O sorte nupta prospera, Dotata Patris gloria, Respèrsa sponsi gratia, Regina formosissima, Christo jugata Principi, Cæli corusca civitas.

Hic margaritis emicant, Patenteque cunctis ostia : Virtute namque prævia Mortalis illuc ducitur, Amore Christi percitus

Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus, Et tusione plurima, Fabri polita malleo Hanc saxa molem con-

struunt, Aptisque juncta nexibus Locantur in fastigio.

Decus Parenti debitum Sit usquequaque altissimo, Natòque Patris unico, Et inclyto Paraclito, Cui laus, potestas, gloria Æterna sit per sæcula.

Amen.

In I. Nocturno.

Añæ. Elevata est magnificentia tua super cælos.

Psalmi trium Nocturn. ut in Festis B. M. V. [194]

Añæ. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Añæ. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde.

**V.** Hic domus Dei est, et porta cæli. **R.** Et vocabitur aula Dei.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. viij. c

**S**Tetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel, et ex-

pandit manus suas in cælum, et ait : Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? si enim cælum, et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus : audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie : ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die : super domum, de qua dixisti : Erit nomen meum ibi : ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus. Ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto ; et exaudies in loco habitaculi tui in cælo, et cum exaudieris, propitius eris.

**R.** Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus, \* Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. **V.** Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromá-

tibus myrrhæ et thuris? —  
Et sicut dies.

**Lectio ij.**

**S**I fúgerit pópulus tuus  
Israel inimicos suos  
(quia peccáturus est tibi),  
et ágentes pœniténtiam,  
et confiténtes nómini tuo,  
vénerint, et oráverint, et  
deprecáti te fúerint in do-  
mo hac; exáudi in cœlo,  
et dimitte peccátum pó-  
puli tui Israel, et redúces  
eos in terram, quam dedi-  
sti pátribuseórum. Si clau-  
sum fúerit cœlum, et non  
plúerit propter peccáta  
eórum, et orántes in loco  
isto pœniténtiam égerint  
nómini tuo, et a peccátis  
suis convérsi fúerint pro-  
pter afflictiónem suam: ex-  
áudi eos in cœlo, et dimítte  
peccáta servórum tuórum,  
et pópuli tui Israel : et  
osténde eis viam bonam,  
per quam ámbulent, et  
da plúviam super terram  
tuam, quam dedisti pópu-  
lo tuo in possessiónem.

✠. Quæ est ista quæ  
ascéndit sicut auróra con-  
súrgens, pulchra ut luna,  
elécta ut sol, \*Terríbilis ut  
castrórum ácies ordináta?  
✠. Fíliã Sion, tota formó-  
sa et suávis es, pulchra ut  
luna, elécta ut sol. — Ter-  
ríbilis.

**Lectio iij.**

**S**I quis cognóverit pla-  
gam cordis sui, et  
expánderit manus suas in  
domo hac, tu exáudies in  
cœlo in loco habitatiónis  
tuæ, et repropitiáberis, et  
fácies ut des unicuíque se-  
cúndum omnes vias suas,  
sicut víderis cor ejus (quia  
tu nosti solus cor ómnium  
filiórum hóminum) ut tí-  
meant te cunctis diébus,  
quibus vivunt super fá-  
ciem terræ, quam dedisti  
pátribus nostris. Insuper  
et alienígena, qui non est  
de pópulo tuo Israel, cum  
vénerit de terra longín-  
qua propter nomen tuum  
(audiétur enim nomen  
tuum magnum, et manus  
tua fortis, et bráchium  
tuum exténtum, ubique),  
cum vénerit ergo et orá-  
verit in hoc loco, tu exáu-  
dies in cœlo, in firma-  
mento habitáculi tui, et  
fácies ómnia, pro quibus  
invocáverit te alienígena:  
ut discant univérsi pópuli  
terrárum nomen tuum tí-  
mére, sicut pópulus tuus  
Israel, et probent quia no-  
men tuum invocátum est  
super domum hanc.

✠. Quæ est ista quæ pro-  
césit sicut sol, et formósa  
tamquam Jerúsalem? \*Vi-

dérunt eam fíliæ Sion, et  
beátam dixerunt, et regi-  
næ laudavérunt eam. ✠. Et  
sicut dies verni circúmda-  
bant eam flores rosárum,  
et lília convállium. — Vi-  
dérunt. Glória. Vidérunt.

**In II. Nocturno.**

**Añã.** Diffúsa est grátia  
in lábiis tuis, propterea  
benedíxit te Deus in ætér-  
num : et in sæculum sæ-  
culi.

**Añã.** Sanctificávit ta-  
bernáculum suum Altís-  
simus.

**Añã.** Homo natus est in  
ea, et ipse fundávit eam  
Altíssimus.

✠. Dómine diléxi decó-  
rem domus tuæ. ✠. Et  
locum habitatiónis glóriæ  
tuæ.

Sermo sancti Bernárdi  
Abbátis.

**Serm. lij. de diversis.****Lectio iv.**

**S**apiéntia, quæ Dei  
erat, et Deus erat,  
de sinu Patris ad  
nos véniens, ædificávit  
sibi domum, ipsam scílicet  
Matrem suam Virgínem  
Mariam, in qua septem co-  
lúmnas excídit. Quid est  
in ea septem colúmnas  
excídere, nisi ipsam di-  
gnum sibi habitáculum  
fide, et opéribus præpará-

re? Nímírum ternárius nú-  
merus ad fidem propter  
sanctam Trinitátem, qua-  
ternárius pértinet ad mo-  
res propter quátuor prin-  
cipáles virtútes. Quod  
autem in beáta María san-  
cta Trínitas fúerit, fúerit  
dico per præsentiam ma-  
jestátis, ubi solus Fílius  
erat per susceptiónem hu-  
manitátis, testátur núm-  
tius cœléstis, qui ei arcána  
mystéria réserans, ait :  
Ave, grátia plena, Dómi-  
nus tecum : et post pauca :  
Spíritus sanctus supervé-  
niet in te, et virtus Altís-  
simi obumbrábit tibi. Ecce  
habes Dóminum, habes  
virtútem Altíssimi, habes  
Spíritum sanctum, habes  
Patrem, Fílium, et Spíri-  
tum sanctum.

✠. O quam metuéndus  
est locus iste : \*Vere non  
est hic áliud, nisi domus  
Dei, et porta cœli. ✠. Hæc  
est domus Dómini firmiter  
ædificáta, bene fundáta  
est supra firmam petram.  
— Vere.

**Lectio v.**

**U**trum autem et quá-  
tuor principáles vir-  
tútes, tamquam quátuor  
colúmnas posséderit, in-  
quisitióne dignum vidé-  
tur. Primum ergo videá-

mus, an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomonem legitur: Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus præteritum eius. Porro quod temperans et justa fuerit, ex Angeli colloquutione, et sui ipsius responsione, luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave, gratia plena, Dominus tecum; non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed siluit, et qualis esset insolita hæc salutatio secum cogitavit. Qua in re, quid nisi temperans fuit? at vero cum de cælestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæsit, quomodo conciperet et pareret, quæ virum utique non cognosceret, et in hoc sine dubio prudens exstitit.

℞. Fundata est domus Domini supra verticem montium, et exaltata est

super omnes colles: \* Et venient ad eam omnes Gentes, et dicent, Gloria tibi Domine. ℞. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. — Et.

**Lectio vij.**

**J**ustitiæ autem præ se fert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur; nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, et tribus fidei prædictis exstruxit in ea sibi domum Sapientia cælestis, quæ adeo mentem ejus replèvit, ut de plenitudine mentis fecundaretur et caro. Ipsius autem Virginis natalis domus divinis mysteriis consecrata, Angelorum ministerio ab infidelium potestate in Dalmatiam prius, deinde in agrum Lauretanum Picenæ provinciæ translata fuit, sedente sancto Cælestino quinto: eamdemque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est,

et habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatis, et celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute et cælestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius duodecimus, quo ferventius erga Matris amantissimæ cultum fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ Domus Translationem anniversaria solemnitate in tota Piceni provincia veneratam, Missa etiam et Officio proprio celebrari præcepit.

℞. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit, et qui quærit, invenit: \* Et pulsanti aperiatur. ℞. Pètte, et accipiètis: quærite, et veniètis. — Et. Gloria. Et.

**In III. Nocturno.**

**Aña.** Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

**Aña.** Vidèrunt omnes pópuli glóriam ejus.

**Aña.** Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabilia fecit Dóminus, allelúia.

℞. Domum tuam Domine

deceat sanctitúdo. ℞. In longitudinem dierum. Lèctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

**Lectio vij. Cap. j. c**

**I**n illo tempore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Mariæ. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

**Ex Hom. j. super Missus.**

**Q**uæ est hæc virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo? tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem; sed quanta, putas, veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem? audis humilem? Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas; illa consulitur, ista præcipitur.

**R.** Diffusa est gratia in labiis tuis : \* Propterea benedixit te Deus in aeternum. **V.** Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiae regum in honore tuo. — Propterea.

**Lectio viij.**

**Ex Homilia ij. super eodem loco.**

**M**issus est, inquit, Angelus ad virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam, nec noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi preparatam, ab Angelis servatam, a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam; ut pauca loquar de pluribus, quam sibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait : Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod sequitur : Ipsa conteret caput tuum : cui haec servata victoria est, nisi Mariae?

**R.** Beata es Virgo Ma-

ria, Dei Genitrix, quae credidisti Domino, perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi : ecce exaltata es super choros Angelorum : \* Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. **V.** Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. — Intercede. **Gloria Patri.** Intercede.

**Lectio ix.**

**Ex Homilia iij. super eodem loco.**

**E**T ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum. Quo ingressus ad eam? Puto in sacrarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis, clauso super se ostio, orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli astare orantibus, et delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum sanctae devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariae autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tam reverenter salutavit.

Te Deum laudamus. 20.

**AD LAUDES,**  
**et per Horas, Añae.**

**I.** Domum tuam \* Domi-

ne decet sanctitudo in longitudinem dierum.

2. Domus mea \* domus orationis vocabitur : in ea omnis qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperiatur.

3. Propter domum Domini \* Dei nostri quaesivi bona tibi.

4. Domine Deus, exaltasti super terram habitationem meam.

5. Domum majestatis meae, \* et locum pedum meorum glorificabo.

**Capitulum. Eccli. xxiv.**

**I**N omnibus requisivi, et in hereditate Domini morabor. Tunc praecipit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

**Hymnus.**

**A**lto ex Olympi vertice Summi Parentis Filius, Ceu monte desectus lapis Terras in imas decedens, Domus supernae, et infimae, Utrumque junxit angulum.

Sed illa sedes Coelitem Semper resultat laudibus, Deumque Trinum et Unicum

Jugi canore praedicat :

Illi canentes jungimur Almae Sionis aemuli.

**H**aec templa, Rex Coelestium,

Imple benigno lumine :

Huc o rogatus adveni,

Plebisque vota suscipe,

Et nostra corda jugiter

Perfunde coeli gratia.

**H**ic impetrent fidelium

Voces precisque supplicum

Domus beatae munera,

Partisque donis gaudeant :

Donec soluti corpore

Sedes beatas impleant.

**D**ecus Parenti debitum

Sit usquequaque altissimo,

Natoque Patris unico,

Et inlyto Paraclito,

Cui laus, potestas, gloria

Aeterna sit per saecula.

Amen.

**V.** Introibimus in tabernaculum ejus. **R.** Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

**Ad Bened. Añae.** Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis : et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

**Oratio.**

**D**eus, qui beatae Mariae Virginis domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer con-

secrásti, eámque in sinu Ecclésiæ tuæ mirabiliter collocásti : concéde, ut segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres domus sanctæ tuæ. Per eúmdem Dóminum nostrum.

**Commemoratio Feriæ, et S. Melchiadis. 560.**

**Ad Primam in ℞. br. dicitur** ℞. Qui natus es de María Vírgine.

**AD TERTIAM.**

**Capit. ut in Laud. [401]**

℞. br. Hic domus Dei est, \* Et porta cæli. Hic. ℞. Et vocábitur aula Dei. Et porta. Glória Patri. Hic.

℞. Dómine diléxi decórem domus tuæ. ℞. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

**AD SEXTAM.**

**Capitulum. Eccli. xxiv. b**  
**E**T sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenítudine sanctorum deténtio mea.

℞. br. Dómine, \* Diléxi decórem domus tuæ. Dómine. ℞. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Dilexi. Glória Patri. Dómine.

℞. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. ℞. In longitúdinem diérum.

**AD NONAM.**

**Capitulum. Eccli. xxiv. b**

**I**N platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℞. br. Domum tuam Dómine, \* Decet sanctitúdo. Domum. ℞. In longitúdinem diérum. Decet. Glória Patri. Domum.

℞. Hic domus Dei est, et porta cæli. ℞. Et vocábitur aula Dei.

**IN II. VESPERIS.**

**Añæ et Capitulum ut in Laudibus. [400]**

**Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V. [191]**

℞. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. ℞. Bene fundáta est supra firmam petram.

**Ad Magnif. Aña.** O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

**DIE XVII. DECEMBRIS.**

**S. Lazari Resuscitati Episc. et Conf. Duplex. Omnia de Comm. Conf. Pont. [70] præter seq.**  
**Ad Magnif. Aña.** Lázarus amicus noster aormit :

eámus, et a somno excitémus eum.

**Oratio.**

**E**Xáudi quæsumus Dómine preces nostras, quas in beáti Lázarí Confessóris tui atque Pontíficis solemnitate deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

**Commem. S. Eusebii et Feriæ.**

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quatuor Temp. Fidélis sermo. de Communi. [73]**

**In ij. Nocturno, Lectiones. Beáti patris Lázarí. de Communi ij. loco. [87]**

**In III. Nocturno.**

Léctio sancti Evangéllii secúndum Joánnem.

**Léctio vij.**

**Cap. xj.**

**I**N illo témpore : Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castélló Mariæ, et Marthæ, soróris ejus. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

**Tract. xlix. in Joann. post initium.**

**I**N superiori lectiône meminístis quod Dóminus éxiit de mánibus eórum qui la-

pidáre illum volúerant, et discéssit trans Jordánem, ubi Joánnes baptizábat. Ibi ergo Dómino constitúto, infirmabátur in Bethánia Lázarus, quod castéllum erat próximum Jerosólymis. María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis, cujus frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo soróres ejus ad eum. Jam intelligimus quo misérunt, ubi erat Jesus: quóniam absens erat, trans Jordánem scilicet. Misérunt ad Dóminum, nuntiántes quod ægrotáret frater eárum, ut si dignarétur, veníret, et eum ab ægrítudine liberáret. Ille distulit sanáre, ut posset resuscítare.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. ℞. Iuduit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

**Léctio viij.**

**Q**uid ergo nuntiavérunt soróres ejus? Dómine, ecce quem amas infirmátur. Non dixerunt : Veni : amánti enim tantúmmodo nuntiándum fuit. Non ausæ sunt dícere, Ve-

ni, et sana : non ausæ sunt dicere, Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illius centurionis inde laudatur? ait enim : Non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodo : Domine, ecce quem amas infirmatur. Sufficit ut noveris : non enim amas, et deseris.

✠. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ✠. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. **Gloria.** Et vos.

**Lectio ix.**

**D**icit aliquis : Quomodo per Lazarum peccator significabatur, et a Domino sic amabatur? Audiatur eum dicentem : Non veni vocare justos, sed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de cælo ad terram non descenderet. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius

Dei. Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo quod ait, non est ad mortem : quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum : quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sane videte quemadmodum tamquam ex obliquo Dominus Deum se dixit : propter quosdam qui negant Filium Dei Deum esse.

Te Deum. 20.

**Ad Bened. Añã ut in j. Vesperis, et fit Comm. Feriæ.**  
**In ij. Vesperis omnia de Communi. [84]**  
**Deinde Commem. Feriæ.**

DIE XVIII. DECEMBRIS.

**In Expectatione Partus B. Mariæ V.**

**Duplex majus.**

**IN I. VESPERIS.**

**Añæ et Capitul. de Laudibus. [411] Psalmi ut in Festis B. M. V. [191]**

**Hymnus.**

**C**reátor alme siderum,  
Æterna lux credentium,  
Jesu Redemptor omnium,  
Intende votis supplicum.  
**Qui dæmonis ne fraudibus Periret orbis, impetu**

Amoris actus, languidi Mundi medela factus es. **Commune** quimundi nefas Ut expiâres; ad crucem E Virginis sacrario Intacta prodixi victima. **Cujus potestas gloriæ,** Noménque cum primum sonat;

Et Cœlites, et inferi Tremente curvantur genu. **Te deprecamur** ultimæ Magnum diæi Jûdicem; Armis supernæ gratiæ Defende nos ab hostibus. **Virtus, honor, laus, gloria** Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paraclyto, In sæculorum sæcula. Am. ✠. Ave Maria, gratia plena. ✠. Dominus tecum. **Ad Magnif. Añã.** Spiritus sanctus in te descendet Maria : Ne timeas : habebis in útero Filium Dei, allelúia.

**Oratio.**

**D**eus, qui te beatæ Mariæ Virginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti : præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum.

**Et fit Commemor. Feriæ, Añã. O Sapiéntia. 221.**

**Ad Completor. et alias Horas in fine Hymnorum dicitur.**

**Virtus, honor, laus, gloria** Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paraclyto, In sæculorum sæcula. Amen.

**AD MATUTINUM.**

**Invitat.** Ave Maria, gratia plena, \* Dominus tecum. **Ps. Venite. 2.**

**Hymnus.**

**V**erbum supernum procedens,  
E Patris æterni sinu  
Qui natus orbi subvenis,  
Labente cursu temporis.  
**Illumina** nunc pectora,  
Tuoque amore concrema;  
Ut cor caduca deserens  
Cœli voluptas impleat.  
**Ut, cum tribunal Jûdicis**  
Damnabit igni noxios,  
Et vox amica debitum  
Vocabit ad cœlum pios.  
**Non esca flammarum nigros**

Volvâmur inter turbines,  
Vultu Dei sed cōmpotes  
Cœli fruamur gaudiis.  
**Virtus, honor, laus, gloria**  
Deo Patri cum Filio,  
Sancto simul Paraclyto,  
In sæculorum sæcula.  
Amen.

**In I. Nocturno.**

**Añã.** Ecce Dominus noster cum virtute veniet,

et illuminábit óculos ser-  
vórum suórum, alleluía.

**Psalmi j. et ij. Nocturni  
de Communi Virg. [126]**

**Añã.** Rorate cœli desu-  
per, et nubes pluant ju-  
stum : aperiátur terra, et  
germinet Salvatórem.

**Añã.** Ecce nomen Dó-  
mini de longínquo : et  
cláritas ejus replet orbem  
terrárum.

**℟.** Ex Sion spécies decó-  
ris ejus. **℞.** Deus noster  
manifeste véniet.

De Isaia Prophéta.

**Lectio j. Cap. vij. b**



**S**T adjécit Dóminus  
loqui ad Achaz,  
dicens : Pete tibi  
signum a Dómino Deo  
tuo in profúndum inférni,  
sive in excélsu supra.  
Et dixit Achaz : Non pe-  
tam, et non tentábo Dó-  
minum. Et dixit : Audíte  
ergo domus David : Num-  
quid parum vobis est,  
moléstos esse homínibus,  
quia molésti estis et Deo  
meo? Propter hoc dabit  
Dóminus ipse vobis si-  
gnum. Ecce virgo concí-  
piet, et páriet filium, et  
vocabitur nomen ejus Em-  
mánuel. Butyrum et mel  
cómedet, ut sciat repro-  
báre malum, et eligere  
bonum.

**℞.** Non auferétur sce-  
ptrum de Juda, et dux de  
fémore ejus, donec véniat  
qui mitténdus est : \* Et  
ipse erit expectátio Gén-  
tium. **℟.** Pulchrióres sunt  
óculi ejus vino, et dentes  
ejus lacte candidióres. —  
Et ipse.

**Lectio ij. Cap. xj.**

**E**T egrediétur virga de  
radice Jesse, et flos  
de radice ejus ascéndet.  
Et requiescet super eum  
Spíritus Dómini : spíritus  
sapiéntiæ et intelléctus,  
spíritus consílii et fortitú-  
dinis, spíritus sciéntiæ et  
pietátis, et replébit eum  
spíritus timóris Dómini :  
non secúndum visiónem  
oculórum judicábit, neque  
secúndum auditum áu-  
rium árguet : sed judicá-  
bit in justítia páuperes,  
et árguet in æquitáte pro  
mansuétis terræ : et per-  
cútiet terram virga oris  
sui, et spíritu labiórum  
suórum interficiet im-  
pium. Et erit justítia cin-  
gulum lumbórum ejus :  
et fides cinctórium renu  
ejus.

**℞.** Oriétur stella ex Ja-  
cob, et consúrget homo de  
Israel, et confringet om-  
nes duces alienigenárum :  
\* Et erit omnis terra pos-

séssio ejus. **℟.** De Jacob  
erit qui dominábitur, et  
perdet reliquias civitátis.  
— Et erit.

**Lectio iij. Cap. xxxv.**

**L**ætábitur déserta et  
lívía, et exsultábit  
solitúdo, et florébit quasi  
lílium. Germinans germi-  
nábít, et exsultábit læta-  
búnda et laudans : glória  
Líbani data est ei : decor  
Carméli et Saron, ipsi vi-  
debunt glóriam Dómini,  
et decórem Dei nostri.  
Confortáte manus disso-  
lútas, et gœna debília ro-  
boráte. Dícite pusilláni-  
mis : Confortámini, et  
nollite timére : ecce Deus  
vester ultiónem addúcet  
retributiónis : Deus ipse  
véniat, et salvábit vos.  
Tunc aperiéntur óculi cæ-  
córum et aures surdórum  
patébunt. Tunc sáliet sicut  
cervus claudus et apérta  
erit lingua mutórum :  
quia scissæ sunt in de-  
sérto aquæ, et torréntes  
in solitúdine. Et quæ erat  
árida, erit in stagnum, et  
sítiens in fontes aquárum.

**℞.** Descéndet Dóminus  
sicut plúvia in vellus :  
oriétur in diébus ejus ju-  
stítia, \* Et abundántia  
pacis. **℟.** Et adorábunt  
eum omnes reges : omnes

Gentes sérvient ei. — Et  
Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

**Añã.** De Sion exíbit lex,  
et verbum Dómini de Je-  
rúsalem.

**Añã.** Ecce Deus noster,  
exspectávimus eum, et  
salvábit nos, alleluía.

**Añã.** Dóminus véniet,  
occurríte illi, dicétes :  
Magnum princípium, et  
regni ejus non erit finis :  
Deus, fortis, dominátor,  
princeps pacis, alleluía.

**℟.** Egrediétur virga de  
radice Jesse. **℞.** Et flos de  
radice ejus ascéndet.

Sermo sancti Ildephónsi  
Archiepiscopi Toletáni.

Ex libro de Virginit. B. M.

**Lectio iii.**



**B**Omina mea atque  
dominátrix mea,  
dóminans mihi,  
mater Dómini mei, ancilla  
Fílii tui, génitrix factoris  
mundi, te rogo, te oro, te  
quæso, ut hábeam spíri-  
tum Dómini tui, spíritum-  
que Fílii tui; ne non et  
spíritum Redemptóris  
mei, ut de te vera et di-  
gna sápiam, vera et di-  
gna loquar, vera et digna  
quæcúmque sunt, díli-  
gam. Tu enim es elécta a  
Deo, assúmpta a Deo,  
advocáta a Deo, próxi-